

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Christian Ohm Daniel Zanger

**Disputatio Iuridica Materiam. Privatorum delictorum difficilem non minus quam  
utilem continens**

Rostochii: Praelo Reusneriano, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728671018>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 5. Nov. 1610  
Ohm, Christian 16







Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn728671018/phys\\_0004](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728671018/phys_0004)

DFG

21

56

55-

DISPUTATIO JV-  
RIDICA

# MATERIAM.

Privatorum delictorum difficilem non minus  
quam utilēm continens.

Quam

D. T. O. M. A.

Permissu & autoritate Amplissimi ordinis juridici in  
inclytâ Rostochiensi Academiâ,

Praefide

*Clarissimo & Consultissimo Viro,*

Dn. CHRISTIANO OHM, J. U. D.

Publicæ orationes gratiâ defendere conabitur.

DANIEL ZANGERVS VVittebergensis

Saxo.

*Ad diem 27. Octobr. in Auditorio magno;*  
*Initium fiet horâ 7. matutina.*

I.D. 187. 57



ROSTOCHII,  
Pralo Reusneriano, Anno M. DC. X.

1610



# DISPUTATIO DE PRI VATIS DELICTIS.

## THESES I.



E privatis delictis disputaturis nobis ante omnia præmittendum erit illud, quid sint delicta. Definiuntur vero, quod sint offenditores contrà jus illatæ, eaq; ratione pœnæ inducuntur, quæ nisi inducerentur, respùblicæ omnes etiam optimis legibus constitutæ non forent firmæ, sed ruituræ essent uno eodemq; momento.

### II.

Horum vero divisio multiplex est: quedam perhibentur propria, quedam impropria, quedam nominata, quedam innominata, & id genus alia secundum varias variantium Dd. conclusiones. Principalis v. maximeq; usitata est hæc, quâ delicta dividuntur in privata & publica.

### III.

Privata sunt, quæ privatam formulam agendi habent, nec aliqualege publica sunt effecta: Publica, quæ ex legibus publicorum judiciorum veniunt.

### IV.

Publica in alienum locum reiecturi: de privatis autem hic agere nostri est instituti: Horum quatuor potissimum sunt species: Furtum, Rapina, Damnum injuria datum, & injuria.

### V.

Cum autem furtum omnium ex his quatuor speciebus sit frequentissimum; meritò priore loco ponitur, hujusq; Etymologia partim latina, vel à furvo, id est nigro, eò quod clàm & obscure fiat, & plerumq; noctu, vel à fraude, vel à ferendo vel auferendo: partim Græca à φωρ, quod verbum furem denotat. Verum probabilius, reiq; magis congruentius, ut furem vel furtum à ferendo vel auferendo denominatum dicamus, quod Græci etiam φωρας θντος

**Φέγειν**, id est, à ferendo vel afferendo dixerint, cum aliter furtum quam afferendo vel contrectando fieri non possit.

V I.

Estq; contrectatio fraudulosa, lucifaciendi gratiā, vel ipsius rei vel etiam usus ejus, possessionisvē, quod lege naturali prohibitum est admittere.

V II.

Contrectare hoc in loco latè sumitur, adeò, ut non tantum sit rem amovere vel afferre, sed etiam eadē cum damno abuti alterius, itemq; ad furandum opem ferre.

V III.

Furtorum duo sunt genera manifestum & nec manifestum. Nam conceptum & oblatum species potius sunt actionis furto co-harentes, quam genera furtorum. Manifestum, cum fur, qui vel in ipso furto deprehenditur, vel in eo loco, ubi furtum sit, saltem vi-sus sit rem furtivam tenere antequam eō peryeniret, quō deferre vel deponere destinasset.

I X.

Furtum nec manifestum econtrà dicitur illud, cum fur in ipso furto deprehensus non sit, nec eo loco, quo ablatum deponere de-stinasset.

X.

Causa efficiens furti est fraudulosa voluntas, non enim sola & plena ablato, amotioq; requiritur, sed imprimis attendendum, ut fiat furtum animo furandi, absq; affectu enim furandi commissum dici nequit.

X I.

Undè rectè constitutum, furiosos & impuberes in furti cri-men incurtere non posse, nisi hi dolí capaces sint.

X II.

Hinc consequens est furem non esse, qui putavit, se domini vo-luntate rem attingere. Non enim dolo fecisse præsumitur, qui putat dominum consensurum fuisse. Et econtrà nec is, qui invito domino se facere putavit, cum fiat consentiēte domino, furti obli-gatur.

X III.

Materia, circa quam furtum versatur sunt res, aut usus rei, aut possessio.

Dici-

## XIV.

Dicimus autem res alienas, mobiles & corporales, suæ enim quisq; rei est moderator & arbiter, & res immobilis non propriè potest contrectari; ut nec incorporalis: & hoc ita obtinet, ut etiam rei minimæ furtum fieri posse arbitremur.

## XV.

Porro sciendum est ad res alienas in hâc materiâ etiam referri posse res communes, habito respectu portionis, & proprias, habitâ ratione juris, quod alius in ijs habet.

## XVI.

Pro alienis autem haberi non possunt, quæ nullius sunt in bonis. Hinc hæreditariæ rei furtum fieri non posse putamus, nisi forsitan ei auferatur, cui defunctus pignoris loco dedit, aut commodavit, uti nec rei derelictæ, furtum enim non sit, nisi sit, cui fiat.

## XVII.

Et quamvis liberorum hominum furtum fieri possit, eo tamen casu plagiæ magis fieri censemus. Sic res publicas vel sacras surripiens ex L. Iulia crimen peculatus committere dicitur.

## XVIII.

Deinde usus rei & possessionis furtum fieri anteâ diximus; Et quod ad usum quidem, si creditor pignus, depositarius rem depositam, commodatarius rem commodatam ad alium usum transferat, quam cujus gratiâ data est.

## XIX.

Possessionis verò, si res creditori pignori data surripiatur, sive id fiat à domino ipso, sive extraneo aliquo, & hoc utroq; casu creditori eompetere actionem furti Julianus rescripsit.

## XX.

Econtrâ verò si quis à debitore moroso debitum consequi non possit, & surripiat pro eo rem æquivalentem; non dari hoc casu debitori furti actionem extra controversiam est.

## XXI.

Finis furti est lucrum, sine intentione enim lucrandi furtum fieri non posse, ex ipsâ definitiōne patet.

A;

Hinc,

**X X I I.**

Hinc, qui rem alienam eo animo surripit, ut vel Deo ipsi vel proximo egeno largiatur, furtum facere, nullum est dubium.

**X X I I I.**

Effectus deniq; furti consistit, vel in actionibus, vel in pñnis.

**X X I V.**

Actiones autem hæ aut sunt rei per seculorizæ, aut pñnales maleficij coercionem concernentes.

**X X V.**

Ad illas pertinent actio ad exhibendum, Reivindicatio, conductio furtiva: ad has actio furti.

**X X VI.**

Neq; indistinctè hæ actiones cuilibet exercendæ dantur, neq; adversus quemlibet. Actio enim ad exhibendum & Rei vindicatio soli domino conceditur, & hæredibus ejus, nec ullis alijs, & hoc quidem adversus quemlibet possessorem.

**X X VII.**

Condictio verò furtiva competit vero vel quasi domino, adversus furem tantum, ejusq; hæredes, qui ex causa hæc furtiva tenentur in solidum, non ex ea tantum parte, quæ ad eos pervenit.

**X X VIII.**

Actiones furti dantur ei, cuius honesta causa interest, furtum non esse factum, contrà furem tantum; non etiam ipsius hæredem, nisi lis cum defuncto fuerit contestata.

**X X I X.**

Agitur verò ad pœnam furti vel civiliter, vel criminaliter: Civiliter ad pœnam quadruplici si furtum est manifestum, dupli verò si nec manifestum, illa quidem jure prætorio, hæc civili jure in fures est sancta.

**X X X.**

Criminaliter agitur hodiè ex constitutione Caroli V. ad pœnam strangulationis vel laquei, si videlicet furtum sit ter iteratum.

**X X I.**

Eiusmodi autem pœnam capitalem nec divino nec humano juri refragari constanter adfirmamus.

Hinc

### X X X I I I.

Hinc non putamus à pœna strangulationis liberari furem, vel alium quemlibet reum, si à pœna in matrimonium petatur. Si-  
cūt nec is fit immunis, qui rupto laqueo de patibulo in terram cadit  
incolumis.

### X X X I V.

Altera privatorum delictorum species est Rapina, quæ est con-  
trestatia fraudulosa & violenta rei alienæ & quidem rei mo-  
bilis.

### X X X V.

Diffrerit hæc à furto, quod hoc semper clam, rapina autem vi &  
palam committatur.

### X X X V I.

Causa efficiens est animus fraudulosus, & vis; qui enim per er-  
torem aut ignorantiam rem alienam, existimans suam esse, rapit, a-  
ctione vi bonorum raptorum non erit convenientius.

### X X X V I I.

Subiectum circa quam, sunt res alienæ, mobiles, non verò soli,  
quæ non rapi, sed invadi dicuntur.

### X X X V I I I.

Oritur ex hoc delicto actio furti nec manifesti in duplum &  
vi bonorum raptorum quæ est intrà annum utilem in quadruplum,  
post annum in simplum & respectu simpli rectè dicitur perpetua.

### X X X V I I I I.

Conceditur verò contra raptem in solidum, contrà hæredes  
non datur: An tamen in id quod locupletiores facti sunt, dari de-  
beat? Et Ulpianus putat ideo prætorem non esse pollicitum in  
hæredes in id quod ad eos per venit, quia putavit sufficere con-  
dictionem.

### X X X V I X.

Eftque hæc actio mixta, quia non solum ei pœna inest, sicut  
in actione furti, sed etiam rei persecutio & competit omnibus  
quorum inter eft, rem per vim non esse ablatam.

Hodiē

## XL.

Hodiè verò ex constitutione Caroli V. capitalis est & gladio punitur.

## XLI.

Succedit jam tertia privati delicti species, Damnum injuriā datum. Sed appellatione damni variè usi fuerint Romani. Sumpserunt n. modò pro qualicunque patrimonij deminutione, ut Furtum, Rapina, modò pro eo quod à servo datut domino ignorante, vel invito, quod ipsum propriè concernit actiones noxales, modò deniq; pro eo, quod pauperies quadrupedis dicitur.

## XLII.

In hoc verò contextu damnum accipimus non pro eo, quod à re mobili inanimata contingit, cuius proprius locus ad signatur in obligationibus ex quasi delicto descendit, sed pro damno injuriā dato, quod propriè coercetur L. Aquilia, propterea quod plebs Romana Aquilio Tribuno interrogante hanc legem tulerit, ut eadē succurratur ijs, qui injustè patiuntur damna ab alijs illata.

## XLIII.

Quod est delictum, quo quis dolo, culpâ, injuriâ servum vel quadrupedem occidit, vulneravit, vel res ejus ussit, læsat, aut rupit.

## XLIV.

Iujuriam autem hic non, ut in injuriarum actione contumeliam quandam, sed qnod non jure fit, accipimus.

## XLV.

Culpam intelligimus etiam levissimam, sive quid fiat sciente aut volente ipso, qui damnum dat, sive incuria aut culpa tantum, utpote negligentia forte suâ aut imperitia.

## XLVI.

Hinc si Medicus servum alicuius occiderit, quia malè eum servet, aut perperam ei medicamentum dederit, pro hoc damno recompensando conveniendus erit.

## XLVII.

Causa efficiens ergò est dolus & culpa. Undè furiosi, infantes

tes & impuberes, qui dolii capaces non sunt, damnum dantes in  
hoc L. Aquiliae crimen non incidunt.

### XLVIII.

Materia consistit in tribus hujus legis capitibus, quæ olim in  
usu fuerunt, quorum primum agit de eo, qui alienum hominem aut  
seruum aut quadrupedem, quæ pecudum numero sit, occidit & in  
hoc primo capite agitur de ijs animalibus, quæ congregatim  
pascuntur, ad excludenda ea, quæ pecudum numero non sunt.

### XLIX.

Secundum caput legis Aquilæ ab aulâ recessit & in desuetu-  
dinem abiit, sed in eo quidam opinantur actum fuisse de servo cor-  
rupto. Verum verius est, in eo actum fuisse de illa damni datio-  
ne, si quis aliquam utilitatem, quam aliquis esset percepturus, in-  
tercepisset,

### L.

Tertium caput legis Aquilæ verò agit de læsione rerum qua-  
rumcunque præter hominem & pecudem occisos, p[ro]ut si quis alte-  
ri damnum faxit, quod usserit, ruperit injuria.

### LI.

Ad formam pertinet læsio servis alienis aut brutis animalibus  
aut alijs rebus illata. Si igitur præceptor oculum discipuli læserit,  
aut etiam planè ipsum incuria perfoderit vel auditū ejus abstulerit,  
hoc casu lege Aquilia convenientius erit, levis enim duntaxat ca-  
stigatio concessa est docenti,

### LII.

Finis versatur circa evidentissimam convenientiam & discre-  
pantium primi capitatis cum hoc tertio. Convenientia in eo consistit,  
quod utrobiq[ue] dolus & aliqua culpa etiā levissima præstetur, casus  
vero fortuitus & vis magna excusat. Differentia vero consistit  
in damni estimatione: In illo enim attenditur, quantum res intrâ  
annum continuum plurimi valuit, in hoc vero, quanti res in die-  
bus triginta proximis plurimi fuerit & hoc ideo, in primo enim ca-  
pite majus & grayius; in hoc vero minus damnum versatur, atq[ue]  
minus

B

minus delinquitur; plus enim est occidere, quam vulnerare, plus item est occidere mansuetæ, quam feræ naturæ animantia.

### L III.

Effectus concernit actionem legis Aquilæ; Eaq; perhibetur esse vel civilis vel præatoria, illa vel directa vel utilis.

### L IV.

Prioris generis est actio directa, quæ ex ipsis verbis L. Aquilæ expressis competit soli domino, adversus eum, qui corpore suo proprio damnum dedit in corpus.

### L V.

Posterioris est actio in factum, quæ competit, quando nec corpore, neq; in corpus sed alio modo damnum datum est.

### L VI.

Utilis ex interpretatione JCTorum convenit iis omnibus, quibus aliquod jus in re constitutum est vel quorum alioquin inter est, adversus eum, qui non corpore suo aut manu; sed occasionem damni in corpus præbuit alterius.

### L VII.

Hinc si quis vulneratus ex intervallo moriatur, ex vulnere mortuus primariò non censetur: Sed hoc casu adsertioni Medicorum, suasu nostrorum interpretum, standum est, an ex vulnere infiicto, an verò aliâ adventitiâ cœusâ vulneratus decesserit.

### L VIII.

Item si plures percusserint unum & ipse ex unico lethali vulneri moriatur, omnes qui percussere, de homicidio criminaliter teneri, si de industria vel ex proposito ad occidendum convenierunt: Si verò non, sed casu ad intentionem sit percussus, omnes civiliter teneri, nisi homicidiam ex numero designent.

### L IX.

Restat quarta & ultima delictorum species: Inuria, Sumitur

cur autem nomen injuriæ bisariam generaliter & strictè. In generali significatu dicitur omne id, quod non jure sit. Strictè vero & specificè usurpatur vel pro damno dato, culpa, sive dolo vel pro iniquitate vel injustitia judicantis, quæ græcis dicitur *άδικος* & pro contumelia à contemnendo dicta.

### L X.

Estque delictum seu maleficium privatum dolo malo contumeliosè illatum, ad corporis dignitatis, famæque lœsiōnē tendens.

### L XI.

Causa efficiens est adfectus & dolus injuriandi: Ubi ergo dolus non est, non potest dici facta injuria: Veluti in impuberibus & furiosis & in ijs, qui nimia præcipitata animi commotione, quid injuriosum fecerunt, aut dixerunt, si modò sedatâ ira facti se pœnitere ostendant, scilicet paucque de precentur & dictum revocent. Si verò adhuc perseverent dolus adest, & animus injuriandi; daturq; adversus illos injuriarum actio.

### L XII.

Sic Ebrius injuriā inferre non dicitur, quoad verbales injrias, si modo facti eum pœnitent post discussam violentiam, in realibus verò eum non excusandum fore putamus.

### L XIII.

Materia versatur circa corpus, dignitatem, honorem, estimacionem & famam lœsam.

### L XIV.

Forma consistit in animo injuriandi, qui sit vel RE vèl V E R B I S. Re, quoties manus inferuntur, & alio quovis facto contumelia quis adscitur, idque dupliciter contingit vel in corpus vel extra corpus.

### L XV.

In corpus, cum quis pulsatur, verberatur, aut stuprum alicui infertur. Extra corpus cum citrā corporis sui odiosam tractationem.

tionem factō quodam despicitur. Hocque vel picturā vel habitu,  
gestu, alioq; quovis actu fieri arbitramur.

### L X VI.

Verbis irrogatur injuria, quoties non manus inferuntur, sed  
saltem convictum fit: hocque dupliciter accidit: vel voce, cum  
verba, quæ natura sua sunt injuriosa in aliquem jaciuntur, ut si  
quis furem, latronem, homicidam quem dixerit.

### L X VII.

Hinc is, qui honoris præfatione seu protestatione, videlicet,  
Salvo tuo honore mentiris ad aliquem dixerit ab injuriarū actione  
non existit immunis; protestatio enim actui contraria nihil ope-  
ratur.

### L X VIII.

Secus verò est, si lacesitus & ad iram commotus honoris con-  
servandi gratia injuriam retorsit, & in continentia mentiri menti-  
tem dixerit, tum enim injuriarum actio ipso jure nulla est.

### L X IX.

In judicio quoq; criminali aliquem accusans, nec probans,  
actione injuriarum conveniens erit.

### L X X.

Scripto verò injuria committitur, cum verba injuriosa non ore  
proferuntur, sed quovis etiam modo dolosè scribantur, quò in spe-  
cie pertinet libellus famosus.

### L X XI.

Esta famosus libellus, (qui vulgo Pasquillus vocatur) scri-  
ptura diffamatoria quoquo modo verbis intelligentibus expressa,

### L X XII.

Plane si quis libello dato vel principi vel alicui, famam alie-  
nam infestatus fuerit, injuriarum agi posse Papinianus ait.

### L X XIII.

Ex hoc autem delicto convenit non tantum auctor & fabri-  
cator

cator famosi libelli, sed & is, qui ejusmodi libellum emendum vel vendendum curavit, aut inventum non statim corruptit, sed diuлагavit.

### LXXIV.

Paritur autem quis injuriam non saltem directo, sed etiam per alias personas, veluti si uxor, liberi, servi & qui bona fide nobis serviant, contumelia afficiuntur, inquit contumeliam nostri pulsantur, hi n. omnes spectant ad nos, nostramq; existimationem, si qua eis sit injuria, qui vel potestati nostra vel affectui nostro subjecti sunt.

### LXXV.

Finis injuriae est, ut corpus, dignitas, vel fama alicujus contumelia adficiatur. Hinc duplex est injuria atrox alia, alia levis; habitus videlicet respectu personæ tam facientis, quam patientis; tam loci, quam temporis & denique facti ipsius.

### LXXVI.

Ffectus denique injuriarum est actio civilis & criminalis. Civiliter agitur, cum actor mediante juramento, injuriae maculam estimat, si bius pœnam, salvo tamen moderamine judicis adjudicari petit; & huic ad similis est actio Palinodixæ.

### LXXVII.

At vero si REUS conventus solvendo non sit, pœnam pecuniariam in corporalem a judice converti posse, omnino concluimus.

### LXXVIII.

Criminaliter vero, cum nihil parti præstari, sed pœnam corporalem; aut pecuniariam fisco adPLICANDAM, decerni petitur.

### LXXIX.

Ejusmodi autem pœnam arbitriam, ad mortem usque naturalem extendere posse judicem ceteris paribus adfirmandum censemus,

B 3

Hicce

### LXXX.

Hicce vero actionibus tenentur non solum faciens injuriam, sed etiam non faciens, qui videlicet istam dolosè mandavit.

### LXXXI.

Tollitur deniq; injuriarum actio dissimulatione, si quis eam non statim ad animum revocet: Lapsu temporis etiam præteritione unius anni, excepta actione ex L. Cornelio & denique cum cuncta morte solvantur, utriusq; obitu tam ejus, qui fecit, quam qui passus est injuriam.

### LXXXII.

Annus item non à tempore illatæ injuriæ, sed à tempore scientiæ currere incipit, hoc est, non continuus sed utilis censetur.

### LXXXIII.

Undè concludendum, injuriarum actionem neq; hæredibus, ac in hæredes dari, nisi lis cum defuncto contestata sit.

### LXXXIV.

Atque hæc de privatorum delictorum materia publicæ disputationi veritatis indagandæ gratiâ pro tempote subjecisse sufficiat,

Numerum thesum claudat hæc sequens questio ex dubijs maxima: Utrum liceat de privatis delictis pacisci, vel transigere?

### FINIS.





Literis & moribus præstantissimo Viro juveni,  
Dn. DANIELI ZANGE RO, commensali & amico  
suo oculissimo accinit

**M** Ille hominum mentes, nec sensu vivitur uno,  
In variasq; rapit partes sua quemq; voluntas.  
Sunt aliq; quos in Nymphas vesana libido  
Pellicit elumbes, urensq; Erycina medullas :  
Sunt aliq; dolium quēs Baccho frangere noctes  
Curæ est ; sunt aliq; contrā quos fulgida Martis  
Castra juvant, laudant sub ferro cernere vitam.

**A** Et eu divini florentia castra secutus  
Juris, præ cunctis Themidos tibi Dīa palæstra  
Arrisit, sacræq; vias lustrare latentes  
Justitia placuit, nec non dissolvere tricas  
Mens tibi sola fuit, legum dignoscere sensum  
Exemplo patris, cuius vestigia laudis  
Sectaris, Sacram Themidos dum ritè palæstram  
Intras, mensq; tibi nados disindere legum.

Eja age, mæste animi, ZANGE RE volumina juris  
Fortiter enoda, doctaq; ligamina mente  
Solve Sophistarum. Non MARTIS campus ac ARTIS :  
Armorum fulgor procul hinc, procul ab sit Achille,  
Bartolus accedat, Baldo comitatus Jason  
Quēis cùm cereabis, legumq; enigmata solves  
Perge ita præfixam studius attingere metam  
Digna brabeja feres, reddens certissima jura ..

Theodorus Varmer Osnaburg:  
Westphalus.









Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn728671018/phys\\_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728671018/phys_0023)

DFG





Literis & moribus præstantissimo Viro ju-

Dn. DANIELI ZANGER O, com  
suo oculissimo accinit

**M**ille hominum mentes, nec sensu vivitur u-  
In variasq; rapit partes sua quenq; volun-  
Sunt alij quos in Nymphas vesana libido  
Pellicit elumbes, urensq; Erycina medullas :  
Sunt alij dolium quæs Baccho frangere no[n]  
Curæ est ; sunt alij contrâ quos fulgida M  
Castra juvant, laudant sub ferro cernere uit.

**A**sc tu divini florentia castra secutus  
Furi, præ cunctis Themidos tibi Dìa palastram  
Arrisit, sacræq; vias lustrare latentes  
Justitiæ placuit, nec non dissolvere tricas  
Mens tibi sola fuit, legum dignoscere sensum  
Exemplo patris, cuius vestigia laudis  
Sectaris, Sacram Themidos dum ritè palastram  
Intras, mensq; tibi nodos disindere legum.

Eja age, mæste animi, ZANGER E ro  
Fortiter enoda, doctaq; ligamina mente  
Solve Sophistarum. Non MARTIS campus  
Armorum fulgor procul hinc, procul absit Achil  
Bartolus accedat, Baldo comitatus Jason  
Quæsis cùm cereabis, legumq; enigmata solves  
Perge ita præsidiam studiis attingere metam  
Digna brabeja feres, reddens certissima jura.

Theodorus Varm  
West



the scale towards document



ico